

„ nire, si ita esse vestra Fraternitas agnoscit, hanc pri-
 „ mam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut à subje-
 „ ctis sibi Ecclesiis errorem Simoniacæ hæreseos com-
 „ pescat. Nam, ut alia taceam, quales esse in sacris Or-
 „ dinibus poterunt, qui ad hoc non merito, sed præ-
 „ miis eveniunt? *Lib. xi. Epist. 46. ad Isacium Episco-*
 „ *pum Hierosolymitanum*, iisdem recitatis verbis, quæ
 „ ex Epist. ad Anastasium Antiochenum retuli, subiungit
 „ S. Gregorius: Scimus autem, quanta animadversione
 „ hanc Apostolorum Princeps insequutus est, qui primam
 „ damnationis sententiam contra Simonem protulit, di-
 „ cens: pecunia tua tecum sit in perditionem, quia do-
 „ num Dei existimasti pecunia possideri. „ Denique Tri-
 „ dentina Synodus Sess. 21. *cap. 1. de Reform.* Quoniam
 „ ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse
 „ debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum,
 „ etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis,
 „ aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacum-
 „ que causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii
 „ Ordinum Collatores, aut eorum ministri, quovis præ-
 „ textu accipiant „.

Quia vero prædictum *munus, tributum, Pastellum,*
Inthronificum, olim in Ordinationibus dari solitum,
 quandoque appellabatur etiam *Cathedraticum*; inde fa-
 ctum est, ut nonnulli, nominis æquivocatione decepti,
 scribere non dubitaverint, *Cathedraticum* generatim at-
 que universim a sacris Canonibus improbari & prohiberi.
 „ At [*Verba Benedicti XIV. loc. supracit. recito*] quan-
 „ tum isti a veritate abeunt, ex sequentibus patebit.
 „ Verum *Cathedraticum*, de quo in præsens, est certa
 „ pensio, non occasione Ordinationis, sed singulis annis
 „ Episcopo solvi consueta, in signum subjectionis, & ho-
 „ norem Cathedralis Episcopalis, ad ejusdem Cathedralis,
 „ seu Episcopalis officii, onera sustentanda. Huic pen-
 „ sioni solvendæ, pro locorum & temporum diverfitate,
 „ duplex erat præfixum tempus: alicubi præstabatur Epi-
 „ scopo, quum Dioecesim visitabat, quod ex mox refe-
 „ rendis Conciliis Bracarenfi & Toletano VII. colligi-
 „ tur „